







PARTITIONVM
Theologicarum

DIPVTATIO XV.

Quæ posterior *ἐλεγκτικὴ*.

De

SACRA
COENA.

*In inclutâ & Florentissimâ Academiâ VVitteber-
gensî proposita*

PRÆSIDE

M. IACOBO MARTINI

Professore publico:

Respondente

M. GOTTFRIDO RULICHIO

Dresdensi

Horis locoq; consuetis

Sumtibus Clementis Bergeri

Bibliopolæ Wittebergensis.

ANNO 1611.



VIRIS
 RELIGIOSA VIRVTE OR-
 THODOXA PIETATE ET REVERENDA
 ERVDITONE PRÆSTANTISSIMIS.

Dn. M. Melchiori Volcio ad D. Annæ Evang.	} Pastorib. vigi- lantifs. & senio- ribus meritifs.
Dn. M. Bartholomæo Rulichio ad Minoritas (Evang.)	
Dn. M. Eliæ Ehingero ad Spiritum Sanctum	} Dominis pa- storibus
Dn. M. Jacobo Rulichio ad D. Udalricum	
Dn. M. Georgio Riederero ad D. Georgium	
Dn. M. David Pistorio ad D. Crucis	

Dn. Casparo Gnann ad D. Crucis	} Dominis Di- aconis
Dn. M. David Schön ad D. Georgium.	
Dn. M. Christophoro Nieschelio ad Minor.	
Dn. Bartholomæo Hiebero ibidem	
Dn. M. Bernhardo Alberto ad D. Annæ	
Dn. M. Matthæo Wagnero ad Minor.	
Dn. M. Eliæ Kastnero ad D. Udalricum	
Dn. M. Bernhardo Gass ad Minor. Evang.	

*Reverendis, Ministerij Augustani verè augu-
 sti Dominis Senioribus Pastoribus & Diaconis veris & sinceris
 S. S. interpretib. Domino Parenti, Dominis fautoribus ac patro-
 nis suis omni observantiæ cultu colendis.*

Debitæ pietatis amoris ac venerati-
 onis ergò humilimè offert di-
 cat & dedicat

Respondens.



TYPVS HVIVS DISPV TATIONIS.

Cause S.
Cœna sunt
vel

Externe

Efficiens, Christus: cuius consideranda partim

Facta: Vbi errores Pontificiorum, quos in Consecratione committunt, notandi

Verba: quæ Pontificij in alium sensum detorquent.

Finis: Vbi Pontificiorum errores sunt:

1. Ἀγπολαγεία:
2. Theatrica circumgestatio:
3. Sacrificium Missæ.


Interne:

Materia: ubi errant Pontificij, quod

1. Calicem Laicis denebant.
2. Partem consecrati panis in calicem immitant.
2. Vino permisceant aquam.
4. Panis azymi necessitatem imponant.

Forma: contra quam potissimum pugnat Transubstantiatio.





DISPUTATIO XXV.

Quæ posterior ἐλεγκτικὴ.

De
Sacra Cœna.

CONTINUATIO.

Quomodo Calviniani circa mysterium
Cœnae Dominicae hallucinentur, vidi-
mus Disputatione precedente; sequun-
tur nunc impostura Pontificiorum. Nam licet
hoc genus hominum circa omnes fidei Christia-
nae articulos turpissimos foveat errores; lege ta-
men maximi illi sunt, quos de Cœna Domini,
habet: Quocirca opera & precium nos facturos pu-
tamus, si illos aliquantò dilucidius depingamus,
& accuratius examinemus.

Theses.

1. **V**T causæ sunt quatuor: Externæ duæ, Efficiens & finis;
ac internæ itidem duæ, Materia & forma; ita illæ in hoc
Sacramento dari & numerari possunt.

Causa

2. Causa efficiens est ipse Christus, cujus partim facta, partim verba consideranda esse diximus.

3. In factis occurrit *Consecratio*, quam totam consistere & absolvi quatuor Christi verbis, quibus ipsi inferciunt quintum (*Hoc enim est corpus meum*) illaque submisso murmure enuncianda, nec non vi quadam *ἐνεργητικῆν*, quâ sacrificulus Creatorem suum creet, prædita esse sciscunt. Unde illa sunt, quæ in illorum extant libris: *Fit cibus, ex pane caro, DEVS ex Elemento.* Item: *Iste, qui creavit me, dedit mihi creare se. Et qui creavit me, sine me, creatur mediante me.* Atque nomine hoc sacrificulos Beatæ Mariæ Virginis præferunt, nempe, quæ semel tantum Christum conceperit: Illi verò quoties velint, illum creare possunt.

Errores
circa con-
secrationē.

4. Nos contrà: primùm negamus *consecrationem* in quinque illis verbis consistere: sed dicimus etiam antecedentia & consequentia huc pertinere. Quia non pars, sed tota institutio attendenda est.

Refutatio.

5. Deinde meritò reprehendimus illorum *murmurationem*, quodq; in ea exoticâ utantur linguâ, ne astantes aliquid intelligant. Quasi verò panem, non discipulos allocutus fuerit Christus, aut caverit datâ operâ, ne hi intelligerent, quæ dicebat. Vana hæc sunt somnia.

6. Tertiò inficiamur verbis illis quinque vim *ἐνεργητικῆν* inesse: & sine injuria totam ipsorum *ἱεραρχικῶν* Magicæ superstitionis insimulamus: cum ipsimet istam suorum sacrificulorum potestatem exemplo à Magis petito commodissimè declarant. Eadem enim ratione, inquit, Gabriel Biel in Can. Miss. lect. 4. panem in corpus Domini converti à sacerdote, quâ malefici & incantatrices quosdam effectus producere dicuntur, & extrahere lac vacarum de sudibus, vel manubrijs securium, quod non fit aliquâ naturali virtute maleficorum; neq; ex eorum merito, sed virtute aliquâ occultâ, sive bonâ, sive malâ assistente.

ἱεραρχία
Pontificiorum
magicâ superstitione
non caret.

7. Verba quoque Christi in alienum detorquent sensum; Panis enim est corpus, idem esse ajunt, quòd, Panis est mutatus in corpus Christi: indeq; transsubstantiationis figmentum deducunt, uti paulò post videbimus.

Errores
circaverba
instituti-
oni.



8. Contra finem tanquam alteram causam externam pugnat, 1. *ἀρτολατρεία*. 2. *Theatrica circumgestatio* & 3. *Sacrificium Misse*.

*Ἀρτολα-
τρεία.*

9. *Ἀρτολατρεία* est fœdissima Idolomania, quo panis pro ipso met corpore Christi venditatur, religiosè adoratur, eodem-
que, quo S. S. Trinitas, cultu afficitur.

10. Fœdissimam hanc Idolomaniam esse dicimus & probamus. 1. Quia licet Christum, Deum & hominem, ut ubiq; ita etiam in usu Sacræ Cœnæ præsentem non inficiemur, sed seriò statuamus, doceamus & inculcemos; panis tamen & vino, nempe creaturis, hunc tribuere cultum, idololatricum est. 2. Quia non inter recitationem verborum Cœnæ fit vel mutatio, vel unio panis & corporis Christi: sed quemadmodum panis est *κοινωνία* corporis Christi in ipso demum manducationis actu, & non prius: ita idem panis tum demum sacramentaliter unio-
tur corpori, quando fit illa *κοινωνία* atque sumtio. Imò unio sacramentalis nihil aliud, quàm quòd Christi corpus non sine pane; ut nec panis sine corpore, sed pane interveniente corpus Christi manducetur, unà cum illo junctim ac sine distractione. *Hunnius*. Unde intelligitur quòd post consecrationem in pane adorari non possit corpus: 1. Quia non est unitum, multò minus transubstantiatum. 2. Quia non in hunc finem unitur corpus Domini cum pane, ut mediante illo adoretur, sed ut mediante illo manducetur.

*Excusatio
sive exce-
ptio Ponti-
ficiorum
nulla.*

11. Non igitur Pontificios excusat exceptio, quã præten-
dunt, se non panis substantiam adorare, cum ea evanescat. Primum enim id falsissimum est; cum transubstantiatio nulla detur, & recitatio verborum Cœnæ non faciat ut corpus Domini præ-
sens sit. 2. Si omninò res ita sese haberet, ut docent Pontificij, adorarent nihilominus accidentia & species, quas vocant panis: quæ certæ non creator, sed creaturæ sunt.

12. Verùm explicant Pontificij: *Se neq; accidentia, neq; substantiam panis adorare; sed id solum, quod tegitur & continetur accidentibus illis.*

Hic

13. Huic objectioni primùm oppono Concilium Tridentinum, quod *Sess. 3. cap. 6.* Latriæ cultum, qui soli vero Deo debetur, huic Sacramento habendum esse sancit. At ipsimet fidentur Sacramenti appellatione, panis & vini accidentia designari: Jam judicet, qui iudicio non caret, ane sua ipsorum Confessione idololatriæ rei peragantur.

14. Deinde nunquam est auditum hæctenus, à sacerdotibus rudem plebeculam commonefactam esse, ne adoret id, quod corporeis oculis in S. Cœnâ cernitur: Cum tamen scient, videant & audiant plebem id, quod tangitur, oculisq; videtur, Deum appellare, & divino cultu ac honore afficere.

14. Tandem. Si instantia data potest excusare Pontificios, utique excusare potuit Ethnicorum Idolomaniam. Nam & *Cælicoli* idem prætendebant, se non cœli figuram, sed numen in cœlo habitans adorare. Imò nullum tam fœdum, crassumvè Idolomanię genus excogitabitur, quod non Jesuitico hoc mangonio interpolatum, pro genuino Dei cultu produci ac venditari possit. Habitat ne Spiritus Sanctus in cordibus piorum, tanquam in templis suis? Imò fortiùs unitur Corpus Domini cum fidelibus, quàm cum accidentibus panis; Quandoquidem illos vocat os ex ossibus suis, & carnem ex carne sua: Ergò & illorum corpora sunt adoranda & divino honore afficienda.

15. Cæterùm *Theatrica circumgestatio* est, quando Pontificij in novitio illo, quod corporis Christi, vocant, festo, omiſſa penitus distributione & sumtione, Sacra. Cœnæ Ethnicâ pompâ & Persico apparatu circumgestatur, ostendatur & adoratur.

16. Persico apparatu id fieri dicimus. Nam quemadmodum apud Persas imago Solis Crystallo inclusa ostentabatur, ut auctor est *Curtius lib. 3.* Ita etiã Pontificij Numen suum furfuraceum vitro inclusum miseræ plebeculæ ostentant & præferunt.

17. Cultus hic verè idololatricus est: 1. Quia pugnat cum institutione S. Cœnæ: quæ manducationem & bibitionem, non circumgestionem & adorationem præcipit.

2. Quia

Theatrica circumgestatio.

Cultus ille idololatricus.

2. Quia ignotus fuit hic cultus toti Ecclesiasticæ antiquitati, per annos mille trecentos. 3. Quia primum ab *Urbano Quarto* superstitionis & deliræ alicujus aniculæ rogatu, est institutus. 4. Quia etiam in medijs & plusquam *Ægyptijs* illis Pontificiorum errorum tenebris statim ubique non fuit receptus. 5. Quia etiam nostris temporibus multis ex sanioribus Pontificijs displicet: ut videre est in *Consul. Cassandri ad Ferdinand. & Maxim. Imp.*

Errorem hunc postea infiniti sunt subsecuti.

18. Pessimum hunc errorem postea maximus corruptelarum numerus, & teterrimus quidam cinnus est subsecutus. Quandoquidem superstitione gliscente, adhiberi cœpit Eucharistia. 1. Ad corporis sanitatem. 2. ad fortunandum matrimonium. 3. ad felicem prælij eventum, 4. ad fœdera cum hostibus firmanda, 5. ad contestandam & probandam in iudicio forensi innocentiam, 6. ad tempestates, importuna ventorum flamina, ac turbines sedandos. 7. ad secundos in navigatione ventos eliciendos. 8. ad uberem annonæ proventum impetrandum, 9. ad res amissas recuperandas. 10. ad eruendas ex purgatorio defunctorum animas. Quæ omnia ut contra institutionem, ac usum sacræ Cœnæ manifestò pugnantia, damnamus & execramur.

Sacrificium Missæ.

19. Sequitur nunc tertius Pontificiorum error principalis circa finem Sacræ Cœnæ, quo illam in sacrificium externum transformant, nempe Sacrificuli Deo patri corpus & sanguinem, sub speciebus panis & vini, tanquam *ἱλαστικὸν* sive propitiatorium sacrificium, pro virorum & mortuorum peccatis quotidie offerunt.

Refutatio.

20. Contra quod commentum partim ex Ethnicismo, partim ex Judaismo repetitarum Ceremoniarum & histrionicarum quoque gestulationum magonio fucatum, primum disputabimus in genere: Deinde Bellarmini argumenta examinabimus præcipua.

1. Generalis.

21. Argumenta nostra generalia hæc sunt. 1. Quia id nulli utitur expressis Scripturæ verbis, ex quibus manifestum esse posset, illud à Christo institutum esse. 2. Quia extat eius *ἀντίφασις*

Quasi expressis verbis in Scriptura, dum Christus semetipsum
semel obtulisse, & unâ oblatione, semel factâ, in perpetuum,
consecrasset dicitur eos, qui sanctificantur. *Heb. 9. 1. 2. & 29. 10. 10.*
18. III. Quia iterum Scriptura testatur Christum absolvisse &
consumasse omnia, quæ ad sacrificium pro peccatis nostris of-
ferendum pertinebant. *Ioh. 19. 29. 30. Heb. 7. 27. 9. 12. 25. 10. 14.*
Quomodo igitur supererit locus alijs, quæ sint *ἱλαστικὰ* pro
peccatis? Cùm quod semel est perfectum adhuc non fiat, &
quod adhuc sit, nondum sit perfectum. IV. Quia nulli homi-
num concessum est mutare Sacramenta: Verùm Pontificij ex
Sacramento faciunt Sacrificium. V. Quia quicquid repetitur
non est sacrificium propitiatorium pro peccatis *Heb. 10. 1. 11.* VI.
Quia semel Christus oblatus est. *Rom. 6. 9. 1. Pet. 3. 18. Heb. 9. 12. 28.*
item cap. 7. 27. 10. 10. VII. Quia sacrificij N. T. ea est ratio & modus,
ut non nisi à primario sacerdote, quem nos unicum Christum
agnoscimus, offerri possit. *Heb. 9. 25.* VIII. Quia negari non pot-
est, quod secundarij sacerdotes, quos fingunt Pontificij, instru-
menti duntaxat locum obtinent, ministerijque usum dunta-
xat præstant, cum etiam pro se sacrificium illud offerant. Quid
verò inde sequitur aliud, quam primarium sacerdotem nem-
pe Christum ipsum pro se offerre? Quandoquidem instrumen-
ta ad principale agens referri nemo negabit? At hoc manifesta
blasphemia est. *Heb. 7. 27.* IX. Quia oblatio cruenta & incruen-
ta non est una. Ergo si Christus non tantùm semel cruento, sed
incruento etiam sese obtulit, ac quotidie offertur sacrificio;
non unicum, sed plura ejusdem Christi erunt sacrificia: con-
tra manifesta Scripturæ testimonia. *Heb. 9. 25. & 10. 10. 14. 18.* X.
Quia incruentum sacrificium, Sacrificium *ἱλαστικὸν* non est.
Heb. 9. 15. 22. 24. Ergò qui Christi sacrificium dicit incruentum,
is verum Christi sacrificium negat.

2a. Ex quibus luculentissimè demonstratur, sacrificium
Missæ, Christo contumeliosum, Scripturæ & fidei Christianæ
repugnans, ideòque veris Christianis toto pectore abominan-
dum & execrandum esse.

B

Nunc



2. Specialis 23. Nunc breviter videamus argumenta Bellarmini. Primum argumentum habet *lib. 1. de Missa cap. 6. Christus est sacerdos secundum ordinem Melchisedech: At is panem & vinum obtulit, Gen. 14, 18. Ergo & Christus eiusmodi incruentum sacrificium, ad typi illius complementum, offerre debuit.*

1.

24. Verum committit fallaciam causæ Jesuita. Quandoquidem hujus sacerdotij ordinem non in oblatione panis & vini, verum in utriusque persona & officio, nempe regio & sacerdotali, spectet S. Scriptura *Heb. 7, 2, 3.* Adde quod nunquam probabit Bellarminus, id quod à Melchisedeco fuit prolatum, fuisse sacrificium Deo oblatum: Fuit tantum epulum Abrahamo præbitum.

2.

25. Alterum argumentum sumitur à figura Agni Paschalis *ibid. cap. 7. Celebratio Agni Paschalis figura erat expressa celebrationis Eucharistiae: Sed illa, immolatio quaedam erat victimæ Deo oblata: Ergo celebratio Eucharistiae, immolatio victimæ Deo oblata esse debet, ut figura figurato respondeat.*

26. Primum negamus Agnum Paschalem fuisse sacrificium propriè & ἀσλῶς ita dictum: Quomodo igitur S. Cœnæ typus esse potuit, ut sacrificium? Antecedens probatur. 1. Quia neque à solis sacerdotibus, neque in templo mactabatur. 2. Quia neque minima ejus particula Deo offerebatur: Quæ sanè in nulla legali victima prætermittenda erant.

27. Si verò omninò Agnus Paschalis sit sacrificium dicendum, non tamen in eo fuit typus S. Cœnæ, verum potius Christi in cruce mactati & oblati *Hic enim est agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Joh. 1, 29. & 19, 36. 1. Petri, 1, 19.* Ut autem illa mactatio erat cruenta; ita etiam Christi oblatio cruenta fuit. Typus verò sacræ Cœnæ fuit non quatenus mactabatur; sed quatenus comedebatur.

28. Quàm egregiè etiam sacrificuli isti typum Agni Paschalis in Missa impleant, inde manifestum est: Ex agno nihil licebat reservari in diem subsequentem: Pontificij contra suas hostias

Rias cibario inclusas asservant diutissimè circumgestant operose, ostentant ambitiosè, adorant superstitiosè.

29. Tertium Argumentum Bellarmini extat l. alleg. cap. 8. & desumitur ex 24. cap. Exodi. Atque hunc in modum formari potest: *Qualis erat sanguis Vet. Testamenti apud Mosen, talis etiam debet esse sanguis Novi Test. apud Christum: At sanguis Veteris Testam. erat sanguis victima. Ergò sanguis quoq; N. T. debet esse sanguis victima. propriè ac verè immolata & sanctificata: Et per consequens, quemadmodum tum prius immolata fuit victima, quam populus sanguine eius aspergeretur: ita etiam in Sacra Cœnâ prius d. bet immolari Christus quam eius sanguis Apostolis propinetur.*

30. Principale argumentum rectè intellectum libenter concedimus, quomodo verò alterum inde bonâ consequentiâ educatur, neque ego, neq; forsân alius quisquam facilè assequetur. *μὴ παρὰ τὸ*, Bellarmine, & longè aliud concludis, quam concedunt præmissæ. Non stultam tuorum opinionem, sed Apostolum Paulum hic imitari debebas, qui verba illa V. T. disertè cum sacrificio crucis comparat, non cum manducatione Cœnæ. Heb. 9. 20. 29.

31. Quartum argumentum ex sex Prophetarum testimonijs contextitur: quia verò inter illa omnia, uti ipsemet Bellarminus restatur cap. 9. Ultimum, quod ex Malachiæ primo capite depromitur præcipuum est, illud duntaxat assumemus.

32. Verba Prophetæ hæc sunt: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra; ab ortu enim Solis usq; ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda: quia magna est nomen meum in gentibus, dicit Dominus.*

33. Certè qui sine præconceptâ opinione hunc textum Prophetæ legit, facile intelligere potest, Externum & materiale sacrificium abolendum potius in N. T. quam instaurandum prædicere Malachiam.

B 2 Dicte

34. Dicit enim expressè, quòd in Novo Testamento non amplius ab hominum manibus suscepturus sit munus, quòd in sacrificijs Veteris fœderis aliàs accipiebat. Addit rationem: quia ab ortu solis usq; ad occasum magnum erit nomen Iehova in gentibus. Nihilominus tamen omne sacrificiùm propterea non erit sublatum, addit Dominus: sed adhuc in omni loco sacrificabitur. Qualia autem illa sacrificia hodiè sint & esse debeant explicat nobis Apostolus Petrus 1. Epist. cap. 2, 5. quando ita loquitur. *Ipsi quoque, veluti vivi lapides, edificemini domus Spiritualis, sacerdotium Sanctum ad offerendum, SPIRITUALES HOSTIAS, acceptabiles Deo per IESUM CHRISTUM.* Item Paulus Heb. 13, 15. *Per ipsum igitur offeramus hostiam laudis semper Deo, hoc est, FRUCTUM LABIORUM confidentium nomini eius.* Item Rom. 12, 1. *Præbeatis corpora vestra HOSTIAM viventem, sanctam, acceptam Deo. RATIONEM CULTUM VESTRUM.* Videatur etiam cap. 15, 16. Loquitur ergò Malachias de spiritualibus hostijs.

35. Excipit Bellarminus: *Se concedere quidem dari in N. T. Spirituales oblationes: Propterea tamen sacrificia vera statim neganda non esse.*

Exceptio
Bellarmis
ni.

36. Replicamus, tam diu nos ea negare, donec nobis probaverit, verum aliquod sacrificium, excepto illo, quòd in Arâ crucis Deo Patri obtulit Christus, in N. T. dari. Imò hîc expressè prædicat Malachias, quòd nullum sit futurum amplius, & quòd nullum amplius munus sit accepturus JEHOVA.

37. Quòd autem hîc addatur, *requirere Deum in N. T. oblationem mundam, omnia autem opera nostra sunt adhuc immunda; nihil omninò nostræ derogat sententiæ.* Quandoquidem mundus est is, quem Deus mundat: quòd etiam se facturum spondet, Ezech. 37, 23. Et hostiæ, quæ per IESUM CHRISTUM offeruntur Deo, acceptæ sunt. 1. Petr. 2, 5. Ergò & mundæ. Quandoquidem immundities illa à Deo regitur & sanguine Christi abluirur.

38. Neque etiam obstat, quòd preces & spiritualia sacrificia fuerint in Veteri Testamento. Illa enim cum variarum ceremoniarum apparatus involuebantur, hypocrisis multa peragi

agi poterant. Quocirca & hoc respectu spiritualia nostra sacri-
ficia tanquam munda & totum statum Ecclesie nostrae apposi-
te opponit Propheta Veteri, atque ita sinceras fidelium preces,
larvatae hypocritarum sanctimoniae.

39. Quintum argumentum desumit ex 4. cap. Evang. Iohannis: ubi dicit Christus: *Venit hora, quando neq; in monte hoc, neq; in Hierosolymis adorabitis Patrem. Et mox: Venit hora & nunc est; quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate. Ergo sacrificium incruentum missae à Christo fuit institutum.*

40. Risum teneatis amici: Capra nondum peperit, & hoc ludit in tectis. Verum putat Bellarminus verbis illis Christi vaticinium Malachiae explicari, & per adorationem publicum sacrificium significari, idq; ob duplicem rationem. I. Quia adorationis vox in hac significatione accipitur. *Gen. 22, 5. Ioh. 12, 20. Actor. 12, 27.* II. Quia loci ipsius scopus & argumenti hypothesis non nisi novum & inusitatum ante illud temporis sacrificium denotant.

41. Verum, ut *ὑστερον δεῖτερον* faciamus, longè alia causa est, cur publicus in Ecclesia Novi Testamenti cultus dicatur novus & antehac inusitatus nempe quia Spiritus, veritas, & corpus ipsum omnibus ceremonijs & umbris Leviticis opponitur.

42. Deinde qualis est consequentia; *adorationis vox in nonnullis Scripturae locis accipitur pro sacrificio. E. & hoc loco.* A particulari non procedere argumentum, sciunt Logici. Hoc dicit Christus: *Nunc illuxit illud tempus, quo omnes Loci & caetera Hebraeorum cultus circumstantiae, quibus huc usq; cultus sacer quasi devinctus fuit & alligatus, abrogabuntur, ut neque ad hunc montem, in quo vos Samaritani adoratis, neque ad templum Hierosolymum preces posthac sint alligandae; sed antiquatis illis ceremoniarum adumbrationibus, in posterum veri adoratores Patrem in Spiritu & veritate invocabunt. Vide Hunnium supra hunc locum.*

43. Sextum argumentum, quod principale dicit Bellarminus (*capit. 12.*) sumitur ab institutione & primâ huius mysterij celebratione: *Christus in ultimâ cenâ ipse sub specie panis & vini Deo*

Patri sese obtulit, & id ipsum insit fieri ab Apostolis & eorum successori-
bus usq; ad mundi consumationem: sed hoc est sacrificium verè ac propriè
dictum, obtulisse & offerendum instituisse: Ergo celebratio Eucharistia
est sacrificium propriè ita dictum.

44. Ut Majorem probet Jesuita, urget contra Calvinum
verbum Hebræum אָפֵן *Asah*. Verùm quia verbum hoc gene-
rale est, ex adjunctis varias sortitur significationes: Quo cir-
ca ad sacrificij celebrationem hic nullà necessitate restringi
potest. Deinde Evangelistæ & Apostoli utuntur verbo Græco
ποιεῖν, quod neque apud sacros, neque apud Prophanos. Scri-
ptores sacrificare notat. Tertiò dicit Christus per Emphasin:
*Hoc facite, nempe quod ipse fecerat, hoc est, consecrate, distribuere,
sumite, comedite, bibite: non obferte vel sacrificare.*

45. Alteram majoris probationem desumit Bellarminus à
tempore verborum præsentis: inquit enim Christus, *datur, fran-
gitur, funditur: Ergo non significant verba illi, aliquid dari Apostolis e-
dendum vel bibendum, sed Deo offerri sacrificium.*

46. Primum dicimus consequentiam nullam esse, imò fal-
sissimam, & contra ipsum contextum, ut ita committatur fal-
lacia divisionis: immediatè enim conjunguntur, *quod dederit
discipulis, dixeritq; edite, bibite:* Non igitur obtulit hic aliquid Deo
Patri. Deinde quis non intelligit hic enallogen temporis esse,
quã usitatissimè Præsens pro futuro ponitur, ut *Marc. 14, 21. I. 116.
22, 2. Ioh. 10, 15. 2. Tim. 4, 6, 15.*

7. 47. Septimùm argumentum desumitur ex *Actor. 13, 2.* Ubi
λειτργεῖν tribuitur Paulo & Barnabæ. Verùm qualis sit *λειτργε-
γεία* Apostolorum, id docet ipse Paulus *Rom. 15, 16.* quando te-
statur se esse *λειτργεγόν* *ΙΗΣΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ*, *ιεργεγόντα τὸ εὐαγ-
γέλιον* Dei &c. Imò si propterea sint sacrificuli censendi *Μι-
σθισφιστοι* Apostoli, quod dicantur *λειτργεγόντες*: Cur non etiam
Angeli qui *πνεύματα λειτουργικὰ* *Heb. 1, 14* vocantur.

Οα.

48. Octavum & ultimum argumentum depromitur ex I. Cor. 10, 21. Ex quo tria colligit argumenta. I. Quod fit in altari Gentilium & Hebraeorum: id quoque fit in mensa nostra: At in altari Gentilium immolabatur idoli, & in altari Hebraeorum immolabantur sacrificia carnalia Deo vero: E. mensa quoque Domini est quoddam altare: & proinde Eucharistia est quoddam sacrificium: Major probatur: quia loco allegato Apostolus apertissime comparat mensam Domini cum altari Gentilium. II. Nos ita sumimus de mensa Domini corpus & sanguinem Domini, ut sumunt Iudei hostias, & Gentiles idolothyta de suis altaribus, seu mensis. Quae comparatio inepta sit necesse est, si Eucharistia non est sacrificium Deo immolatum. III. Ita argumentatur Apostolus Paulus: Qui manducat idolothyta ille fit particeps altaris idolorum. Ergo consentit in in sacrificium idolorum: imò fit socius immolantium idolis: Quare si apta est Pauli comparatio, oportet etiam circa Eucharistiam ita argumentari: Qui manducat Eucharistiam, fit particeps altaris Domini: Ergo consentit in oblationem Eucharistiae Deo factam, imò fit socius eam offerentium: Ergo Deum hac oblatione cultu latriae honorat.

49. Respondebimus ordine ad singulas. Ad primum dicimus cum Chemnitio & alijs, quicquid etiam ogganniat Belarminus, Mensam Dæmoniorum, non altare sed mensam significare. Probo, Constat enim ex historijs, idolomonias Ethnicorum describentibus; Gentiles in altari quidem obtulisse sua sacrificia, nunquam verò in eo epulari consuevisse, sed peracto demum sacrificio in mensa in Idoleo publicè instructa, ab altari distincta, cibum sumsisse: unde $\mu\epsilon\delta\upsilon\epsilon\upsilon$, quasi, $\mu\epsilon\tau\iota\ \tau\omicron\ \theta\epsilon\upsilon$. Deinde si omninò concedendum foret, per mensam Dæmoniorum altare intelligendum esse. nulla tamen urgeret necessitas, ut in antithesi, per mensam Domini altare aliquod propriè, nempe respectu sacrificij alicujus, dictum, intelligeretur: imò nullo modo intelligi posset: Quandoquidem ibi mentio fit poculi, quod nemo negabit, toti Corinthiorum Ecclesiae fuisse commune.

Quid

Quid autem fit in sacrificio Missæ? Annon ibi solus Presbyter
absumit, quod immolavit? Quid? Quod etiam ipsimet Ponti-
ficij Eucharistiæ distributionem, quæ fit populo, non in altari,
sed in mensa, instituendam & faciendam esse docent.

50. In secundo argumento nulla est consequentia. Quan-
doquidem Apostolus Paulus non instituit comparationem
eiusmodi rerum, quæ specie idem sunt & planè conveniunt:
Verùm specie distinctarum, quandam tamen inter se similitu-
dinem habentium. Quemadmodum enim sacrificium Judæo-
rum erat aliquis cultus divinus & Ethnicorum idololatricus:
ita etiam usus Sacræ Cœnæ aliquis cultus Dei est: Quando ni-
mirum satisfacimus mandato Christi, & annunciamus mor-
tem Domini.

51. In ultimo quoque argumento, nulla est illationis ne-
cessitas. Sic enim est inferendum: Quemadmodum qui man-
ducat idolothyta fit particeps altaris idolorum: Sic qui man-
ducat Eucharistiam fit particeps mensæ Domini. Ergo quem-
admodum ille suâ immolatione se manifestò declarat idolola-
tram: Sic hic sua commestione & bibitione manifestè offen-
dit se verum veri Dei et Christi sui cultorem ac discipulum es-
se: & quemadmodum ille fit socius immolantium idolis: ita
hic fit socius annunciantium mortem Domini. Hæc est vera
illa collatio & oppositio, quam allegato loco urget Apostolus,
ex quâ nemo Idolum Missæ Pontificiæ demonstrabit unquam.

Patres.

52. Tandem Patres quod attinet, non ignoramus, illos pas-
sim vocabulis sacrificij, oblationis, immolationis, victimæ, ho-
stia, altarium, sacerdotum usos esse; Verùm id longè alio fine
& ratione quàm quæ à Pontificijs prætendebitur.

53. Judæi enim & Ethnici Christianis, quasi omni sacrifi-
cio destitutis à Deo impingebant. Illorum igitur criminatio-
nes ut diluerent, vocabulis illis usi sunt, atq; testati, Ecclesiam
Christianam sacrificio non carere: sed frui perpetuo Christi
in cruce oblato sacrificio, ejusq; memoriam in publicis conven-
tibus, precibusq; & Eucharistiæ celebratione recolere.

Nunquam

54. Nun quā verò tam crassa persuasio fascinavit illorū mentes, ut in Eucharistiā externū & propriè dictum sacrificium, offerri putarent: etiam ad tempora usque Lombardi. Is enim lib. 4. dist. 12. in hæc verba definit: *Queritur, si quod gerit sacerdos, propriè dicatur sacrificium, vel immolatio &c. Ad hoc breviter dici potest: illud quod offertur & consecratur, à sacerdote vocari sacrificium & oblationem: Quia MEMORIA EST, & representatio veri sacrificij & sanctæ immolationis factæ in ara crucis.*

55. Ubi expressè Magister sententiarum negat, Eucharistiā sacrificium esse; sed tantum ita dici ait, propter memoriā veri sacrificij, in arā crucis oblato. Ut ita nulla sit exceptio Bellarmini, quā fingit, Lombardum duntaxat de occasione Christi agere, non autem de sacrificio vel immolatione: Non enim quærit de occisione, sed de sacrificio & immolatione, eamq; de Eucharistia negat, uti ex verbis perspicuè patet.

56. Hactenus de erroribus Pontificiorum, circa causas Eucharistiæ externas: sequuntur nunc internæ: Materia & forma.

57. Primus itaq; error circa materiam est, quod Laicis calicem Domini sanguinis denegant, reservatâ communionem sub utrâque specie solis sacrificulæ, idq; primum synodali decreto in Concilio constantiensi Anno 1415. Constitutum fuit, contra expressum mandatum & institutionem Christi, qui eandem Cœnam toti Ecclesiæ, hoc est, tam Laicis, quam Clericis instituit, omnesq; bibere iussit *Matth. 26, 26. Marc. 14, 22. Luc. 22, 19.*

59. Hujus porrò mandati memor Apostolus Paulus, totam Corinthiorum Ecclesiā, quæ maximā parte ex Laicis erat collecta, non tantum ad primam remittit institutionem: sed etiam utriusq; participationem tradit, quando tam calicis, quam panis mentionem facit; Atque quemlibet hominem Christianum se ipsum probare seriò hortatur: ita etiam quemlibet de poculo benedicto bibere debere monet.

57. Et licet Damascenus scribat, *Panem μεταποίησθαι in corpus Christi*: nequaquam tamen uti diximus Papisticam intelligit abolitionem: I. Quia retinet & agnoscit unionem, modumque eius dicit *ἀνεξέσθωτον & ὅτι ἐκ τῆν φύσιν*: ubi autem unio est, ibi

Errores Pontificiorum circa causas internas S. Cœnæ.
1. Error circa materiam, quod Laicis calicem denegant.

ibi unitorum est abolitio, vel annihilatio. 2. Quia *ἔνωσις* hanc confert cum personali unione: in qua certè nullius naturæ abolitio, vel alterius cum alterâ confusio: Sed licet arctissime uniantur ambæ, distinctæ tamen manent, & distinctè subsistunt in unitate Personæ. 3. Quia expressè dicit duas res diversas esse in Sacra cœnâ: Quæ autem diversa sunt, illorum alterum non est abolitum: Quia aliquid & nihil non sunt diversa sed contradictoria.

60. Inquis: dicere nihilominus Damascenum *post mutationem non esse duas res, sed unam?* Omnino est una res: nempe una res sacramentalis: Vbi enim facta est unio ibi est res una: Atqui hic facta est diversarum rerum unio; ergo ex diversis illis rebus facta est una res, non verò simplex, sed composita. Illo ipso igitur sese Damascenus opponit illis, qui panem esse inanem typum & symbolum corporis Christi, dicebant, docens, non in Sacramento cœnæ ita corpus & panem res amplius esse diversas, ut tam longè separata existant, quàm procul abest cœlum, ab imâ terrâ: Verùm potius esse jam unum quid, unione sacramentali, quâ ibi ponitur corpus ubi panis.

61. Primum fundamentum, quod Pontificij huic suo errori substernunt, est commentum *concomitantie*, quâ sanguis à corpore nunquam sit separatus.

61. Verum enim vero, si propterea à calice est abstinendum, cur non etiam sacrificuli ipsi, unâ parte contenti, ab altera abstinent? Adde quòd Christus sanguinis *κνωστικῶν* non nobis ordinaverit sub pane, sed sub vino: Quare vult etiam hæc sua dona distinctis symbolis dispensare. Taceo quòd sub pane non biberetur sanguis Domini, sed manducaretur: quod manifestè quoq; pugnat contra institutionem, ubi nobis Christus sanguinem non manducandum, sed bibendum ordinavit.

63. Cætera argumenta indigna sunt refutatione: cùm illis seiplos potenter confundant & manifestos veritatis hostes declarent.

2. Error 64. Secundus error circa materiam est: *quòd partem consecrati panis in calicem immittant, iterum contra institutionem & manda-*

mandatum Christi, qui voluit, ut utrumq; symbolum distincte sumatur.

65. Tertius error circa materiam est, quod vino permisceant aquam; huncq; ritum traditionem Apostolicam indigent, eamque pari cum scriptura obsequio & veneratione suscipendam esse volunt.

66. Non negamus quidem, calicis vino mixti frequenter fieri mentionem apud Veteres: Verum inde non statim admittio necessaria est inferenda.

67. Quod attinet allegoriam, de Ecclesiae cum Christo coalitione, quam hic urgent, humani inventi, non divini praecepti est.

68. Quartus error circa materiam est, quod panis azymi necessitatem imponant Pontifices Romani. Non quidem illum rejicimus; Verum de essentia & simplici necessitate S. Coenae esse, ut panis sit azymus, id negamus.

69. Formae hujus Sacramenti in primis adversatur Transubstantiatio. Explicabimus autem illam primum ex mente & opinione Pontificiorum: & deinde quomodo eam orthodoxi rejiciant, videbimus.

70. Rem totam nobis breviter exponit Concil. Tridentinum sessione 13. Can. 2. hoc Anathematismo: Si quis dixerit in Sacro Sancto Eucharistiae Sacramento remanere substantiam panis & vini, una cum corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi: negaveritq; mirabilem illam & singularem conversionem totius substantiae panis in corpus, & totius substantiae vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis & vini, quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime transubstantiationem vocat, anathema sit.

71. Et Bellarminus lib. 33. de Sacram. Euchar. cap. 18. & 19. inquit: Catholicam Ecclesiam docere panem converti in corpus Domini, & vinum in sanguinem, eamq; conversionem non partialem sed totalem esse simulq; propriam rationem essentiae corporis Domini in Eucharistia.

72. Utq; res adhuc fiat manifestior, tria observanda esse monet cap. 18. Primum est, quod ad veram conversionem quatuor conditiones requirantur. Prima ut aliquid desinat esse id,

teriam:

partē cor. & secreti panis in calicem immittere.

3. Vino permiscere aquam.

4. Panis azymi necessitatem imponere.

Errores circa formam.

Transubstantiatio.

quod erat antea, idq; simpliciter & secundum materiam & formam. Altera ut aliquid succedat in locum eius, quod desinit esse. Tertia ut sit connexio quaedam & dependentia inter definitionem unius & successionem alterius, ita ut unum desinat, & alterum succedat, & vi definitionis fiat successio. Quarta ut terminus à quo, quam terminus ad quem sit verè positivus.

73. Secundò hic observandum esse dicit, ad veram conversionem non requiri, ut id, in quod, aliquid convertitur, de novo producat; sed satis est, si unum alteri succedat, sive id tunc producat, sive aliunde adducatur, sive alio modo id fiat. Ubi porrò distinguit inter conversionem productivam, adductivam & conservativam: tandemq; concludit conversionem hanc tantùm adductivam esse: Additq; rationem: Nam, in-
quiens, corpus Domini præexistit antè conversionem, sed non sub speciebus panis. Conversio igitur non facit ut corpus Christi simpliciter esse incipiat, sed ut incipiat esse sub speciebus panis.

74. Tertiò hic notandum, pergit Bellarminus, subjectum in quo recipitur actio divina hujus conversionis, partim esse panem, partim corpus Christi. Nam illa actio, ut conversio, in pane recipitur: Panis enim est, qui convertitur: At illa eadem actio, ut adductiva corporis Christi in ipso Christi corpore recipitur: illud enim est, quod adducitur, hoc est, acquirit esse sub speciebus panis, quod antea non habebat. Atque hætenus natura conversionis juxta Bellarminum & Pontificios.

75. Sequitur nunc ejus probatio, quam quadruplicem proponit Bellarminus cap. 19. & seqq.

76. Prima sumitur ex verbo Dei, & quidem ex verbis institutionis Marth. 26. *Accipite & manducate, hoc est enim corpus meum.* Vbi addit: *Hæc verba necessario inferunt, aut veram mutationem panis, ut volunt Catholici, aut mutationem metaphoricam, ut volunt Calvinista.* Sed hæc probanda non est. Ergo illa.

77. Altera nititur testimonijs Patrum. Vbi primùm Lutherum carpit, quasi is in lib. de Captiv. Bab. c. 1. turpiter labatur in historia. Cum enim ibi scribat Lutherus figmentum transubstantiationis Thomisticum esse, addatq; illud ante Concilium
Lateranense

Lateranense sub innocencio III. celebratum, usq; ad Annum Christi 1213. ignotum fuisse: Colligit indè pueriliter & inepte Bellarminus, Lutherum facere Thomam Aquinatem Concilio Lateranensi antiquiorem.

78. Hac præmissa calumniâ, conatur porrò probare, opinionem de transubstantiatione Concilio Lateranensi multò antiquiorem esse, imò semper in Ecclesia & N. T. assertam & defensam fuisse. Adducit igitur testimonia Justini, Irenæi, Tertulliani, Cypriani, Cyrilli, Ambrosij, Georgij Nisseni, Gaudenij, Chrysofomi, Augustini & aliorum.

79. Tertio hoc suum thema probat ex definitione & consensu Ecclesiæ ab annis quingentis.

80. Ultimo adhibet probationes ex convenientia rationis; ubi duo probat: Congruum fuisse, ut substantia panis abesset. Deinde congruum fuisse, imò etiam necessarium, ut panis accidentia manerent. Verùm rationes, quibus duo hæc themata confirmat Bellarminus, jejuna, ridicula, & nullæ sunt, ut in progressu videbimus.

81. Cæterum nos cum orthodoxis transubstantiationis figmentum rejicientes, duplex argumentorum genus adhibemus: *κατασκευαστικόν* & *ἀνασκευαστικόν*.

82. Sit igitur thema nostrum: *transubstantiationem Pontificiorum purum putum figmentum esse.*

83. Probamus id eadem methodo. I. Ex Scriptura Sacra. I. Quia nullibi legimus, Christum hisce syllabis dixisse, **H I C PANIS EST CORPVS MEVM**: sed *το*, Hoc, quod mediante pane vobis do comedendum, est corpus meum. Sed est phrasia Ecclesiæ ad imitationem illarum: *Verbum est caro.* Joh. 1, 14. *Columba est Spiritus.* Joh. 1, 32, & 33. *Flammei currus sunt Angeli.* 2. Reg. 6, 16 & 17.

84. Quemadmodum autem propositiones hæc sine permutatione intelliguntur: ita etiam sacramentalis illa (*panis est corpus Domini*) nondum subinfert substantiæ mutationem.

Transubstantiationis refutatio.

85. II. Apostolus Paulus sæpius et antè & post recitationem
verborum, & quidem in ipso Sacræ Cœnæ usu panem appellat
panem. 1. Cor. 10, 16. II, 23, 26, 27, 28.

86. Deinde orthodoxorum Patrum sententia idem probat.
Theodoretus qui Ephesinæ synodo interfuit & in Calcedonensi
quoq; postremus non fuit circa annum Christi 466. in Dial. 1.
qui *ἀργέντος* inscribitur, ita se explicat. Dominus voluit eos qui di-
vinorum mysteriorum sunt participes seu qui ad S. Cœnam accedunt non
intentos esse naturæ Elementorum, quæ videntur, sed per nominum muta-
tionem eo instigari, ut fidem adhibeant ei mutationi Elementorum, quæ
fit ex divinâ gratiâ. Idem itaq; Christus, qui naturale corpus cibum & pa-
nem nominavit, quiq; se ipsum etiam vineam nuncupavit, ille quoq; symbola
quæ videntur corpus & sanguinis sui appellatione honoravit, non naturam
ipsam mutans, sed gratiam naturæ adiciens.

87. Dicit igitur Theodoretus mutationem hinc fieri per *ἄρτος*
ἔσθω, ita ut pani terreno accedat donum gratiæ, quod est Chri-
sti corpus: Natura verò panis nequaquam aboleatur.

88. Imò adhuc clarius loqui videtur, Dial. 2. Neq; mystica symbo-
la post sanctificationem (arrige aures Jesuita) propriam suam naturam
amittunt: Manent enim in priori sua naturâ & retinent priorem figu-
ram & speciem.

89. Quid clarius contra transubstantiationem dici possit?
Verum progrediamur & Pontificem cum Pontifice committa-
mus. Gelasius Pontifex, qui vixit circa annum Christi 500,
in libro contra Eutychem & Nestorium adserit, panem & vinum
in divinam, Spiritu Sancto perficiente, transire substantiam.

90. At, inquis, hoc est quod urgent Pontificij? Ita est: sed audi
explicationem, quam statim his verbis subjicit: ita transeunt in
substantiam corporis & sanguinis Christi, ut tamen substantia Panis &
vini non desinat. Item: Transeunt in divinam substantiam, permanente
tam in pane & vino in suâ proprietate naturæ. Idq; porro explicat ex-
emplo unionis hypostaticæ, nempe, quod ita permaneant, sicut
in Christo duæ naturæ permanent.

91. Quod verò dixerit panem & vinum transire in divinam sub-
stantiam, ejus hanc reddit rationem: nimirum quod per ea divina
naturæ efficiamur consortes, communicata nobis corpore & sanguine Chri-
sti.

Tam

92. Tam manifestum hoc Pontificis contra Pontificem est testimonium, ut Caspar Contarenus Cardinalis in Colloquio Ratisb. anno 1541 obstupuerit, cum id à nostris allegatū audivisset.

93. Porro Hesy chius, qui sub Arcadio & Honorio circa annum 400. floruit, lib. 2. in Leviticum cap. 8. duas in Sacra Cœna confitetur substantias his verbis: *Propterea sacerdotibus V. T. carnes cum panibus comedi precepit Dominus, ut nos intelligeremus, illud ab eo mysterium dici, quod SIMVL PANIS ET CARO EST.* Et eodem in loco idem inquit: *Sed hoc, quod reliquum est, de carnibus & panibus in igne incendi precepit. Quod nunc videmus etiam sensibilibus in Ecclesia fieri, igniq; tr. di, quæcunq; remanere contigerit inconsumta.*

94. Profecto si tum temporis figmentum transubstantiationis, quodq; extra usum sub speciebus panis & vini adfit corpus & sanguis Christi in Ecclesia assertum & defensum fuisset, uti hodie delirant Pontificij; haud quaquã reliquias S. Cœna sensibilibus cremassent, tantãq; injuriã S. S. Christi corpus affecissent.

95. Audiamus etiam Augustinum in sententijs Prosperi ita loquentem: *Hoc est, quod di. imus, quod modis omnibus approbare contendimus: Sacramentum hoc duobus confici, DVOBVS CONSTARE, visibili elemetorũ specie, & invisibili Domini nostri Iesu Christi carne & sanguine.*

96. Objicit Jesuita: *per speciem hinc intelligi externa panis & vini accidentia.*

97. Nugæ sunt: quandoquidem species hinc Patribus significat ipsam panis & vini essentiam, quod vel maximè inde est manifestum. Patres enim ejus temporis, ut & recentiores, Justinus, Cyprianus, Augustinus ipse, Chrysostomus, Gelasius, Theodoretus & alij, unione hac sacramentali utebantur contra Eutychem, qui naturarum in Personã Christi confusionem & abolitionem docebat, & defendere conabatur: nec non omnes alios hæreticos, qui duas distinctas naturas in una & indivisa Christi persona ex unione sacramentali Corporis Christi & panis in Sacra Cœna gravissimè confutabant & reprehendebant. Quod minimè potuissent facere, si panem in corpus & vinum in sanguinem Christi mutari penitusq; consumi asseruissent.

Damas

98. Damascenus quoq; licet frequenter in negotio Sacrae Domini Coenae utatur voce μεταποίησις, satis tamen luculenter se explicat lib. 4. de fide Orthodoxa cap. 14. pag. 318. His ipsis verbis. Carbonem vidit Esaias. Carbo autem simplex non est, sed unitus igni: sic panis communionis non panis simplex est, sed unitus divinitati & corpus unitum divinitati, non una & eadem illi natura est, sed una corporis, & unita divinitatis altera: quare amborum simul non una natura est: sed dua.

99. Quid multis? Ne unicum quidem producere potest Patrem Bellarminus, qui, ante annum Christi octingentesimum substantiae mutationem saltem nominaverit.

100. Tandem eadem nostra sententia convenientiam rationis probatur: I. Quia pugnat cum ipsa natura Sacramentorum, quae duabus rebus, terrenam & caelesti constare, autoritate Scripturae & orthodoxae antiquitatis dicitur. II. Quia ut in Baptismo, ipsis attestantibus Pontificijs, substantia aquae manet: ita quoque in Eucharistia panis & vinum essentiam suam retinere debent, ut sint organa sive media, quibus corpus & sanguis Christi à nobis manducetur & bibatur. III. Quia accidentia non sunt sine suo subiecto, quod etiam arguunt. Quemadmodum per accidentia omnis substantia secundum sensum cognoscitur & distinguitur. Atqui in pane & vino sunt omnia accidentia, omnes proprietates, à posteriore demonstrantes tales substantias. Qui igitur panem & vinum negat in Eucharistia, ipsum sensum negat. IV. Corpus Christi computrescere & sanguis ejus acescere impossibile est. At panis consecratus & à Pontificijs reservatus computrescit & in vermiculos convertitur. Vinum verò acescit: Ergo panis reservatus, itemq; vinum essentiam suam sunt Panis & vinum, & non tantum juxta speciem & accidentia. V. Si post consecrationem vinum non est amplius vinum, sed ipse essentialis Domini sanguis, quid causae est, quod inter caetera Pontificij contendunt etiam propter abstemios alteram duntaxat Coenae specie utendum esse. VI. Et tandem hunc in modum argumentamur: Omne quod est corpus, illud est: vel formetur ita major. Omne corpus est; Panis est corpus. E. panis est. Major est

ior est certissima, nisi forsan τὸ μὴ ὄν καὶ τὸ ὄν, ἀνυπερβλάττω καὶ ὑπερβλάττω,
tibi sit idem. Minor fundatur in ipsis verbis institutionis S. Cœnæ,
quando Christus inquit de pane, Hoc est corpus meum: Vera itaque
erit & conclusio, panem in S. Cœna esse, & non desijisse esse.

101. Atq; hæc sunt pro nostra sententia argumenta κατὰ τὸν βλαττω: sequitur nunc ut ἀνασχευασθῶς contra Bellarminum impugnemus.

102. Ut igitur ad conditiones conversionis, à Bellarmino excogitatas, primum respondeamus. Ridiculæ illæ sunt, & nullo omnino Scripturæ fundamento innituntur.

103. Deinde panem desijisse in S. Cœnâ, illud argumentis jam allatis, sufficienter, ni fallor, refutatum est. Adde quod in rationibus suis turpissimam contradictionem committat Bellarminus. 1. Negat panem annihilari, vel in non ens redigi. 2. Affirmat panem ita aboleri, ut neque forma, neq; materia, neq; partes ullæ sint reliquæ. Vnde ita argumentamur.

Quicquid ita aboletur, ut neq; forma, neq; materia, neq; ullæ partes sint reliquæ, id annihilatur. Atqui Panis, qui in S. Cœna non annihilatur, neq; forma, neq; materia, neq; partes ullæ sunt reliquæ.

Ergo Panis qui in S. Cœna non annihilatur, annihilatur.

Major est certa. Nam omne ens aut est substantia, aut accidens. De accidente quæstio hic non est: Cùm nobis persuadere velit Bellarminus, panem mutari in substantiam corporis Christi. Substantia a. triplex est, monente Philosopho, lib. 2. de Anima cap. 1. Materia. Forma, & ex his compositum, neq; plures substantiæ species dari possunt. Quocirca, qui affirmat, omnes alicujus partes essentielles, nempe materiã, eamq; non secundam duntaxat, sed etiam primam & formam insuperq; omnes partes aboleri, is non aliquid, sed nihil relinquit: Omnis autem mutatio, quæ est ab esse positivo ad esse simpliciter negationũ, annihilatio est: nisi forsan inter τὸ ὄν & μὴ ὄν cum Antistene non sine pessima absurditate medium fingere velis. Cùm igitur Major certa sit, & Minor ex ipsius Bellarmini verbis desumatur, manifesta est deformis Jesuitæ ἀντίφασις.

104. Sublatã igitur conditione primã, ultrò secunda & tertia concidunt. Si enim Panis non aboletur, quomodo aliud in ejus locum essentialiter succedet, quod dicit conditio secunda. Si autem nihil succedit,

D

succedit,

succedit, & nihil aboletur, quomodo dabitur dependentia inter definitionem unius & successionem alterius! Non entis enim non dantur qualitates.

105. Porro quia illa dependentia nihil est, frustra ex illâ colligitur transubstantiationem, non esse annihilationem: cum hæc terminetur ad nihil: illa verò ad aliquid, nempe corpus Domini.

106. Frustrâ etiam adducit simile à transmutatione naturali desumptum: Nam hîc omninò verum est, quod non rectè in corruptione dicitur formam annihilari, hoc est, terminari ad nihil negativum. Cum terminetur non ad non esse illius formæ, sed ad esse formæ alterius. Verum id minimè concedendum est de hac transmutatione Pontificiâ. Nam ibi, verbi causa, aqua, quando mutatur in aërem, non perijt secundum omnes essentiæ suæ partes, sed relinquitur sub utraq; forma communis materia: Quæ in transubstantiatione, ex sententia adversariorum tota simul cum forma tollitur. Oportet igitur ut in eiusmodi actione primùm tota essentia panis intereat, adeò, ut eius corruptio terminetur in nihilo negativo, & tùm in eius locum corpus Domini substituatur. Ut igitur in transubstantiationibus naturalibus successio esse potest formæ post formam, quia materia prima communis est, eiq; adhæret privatio, quæ conjunctam habet habilitatem, quâ, verbi causa, aqua ita per suam naturam est affecta, ut ex illa aër fiat, aliquid que de essentia aquæ transeat in essentiam aëris nempe materia: ita hîc in transubstantiatione nullo modo potest succedere corpus Domini panis, cum nihil de substantia panis transeat in corpus Christi, quòd & materia & forma & omnes eius partes pereant. Quomodo igitur non erit panis annihilatio? Quomodo etiam hîc fingi poterit dependentia & successio? Cùm dependentiæ & successionis hujus fundamentum planè pereat & intereat.

Triplicis

modus mutationis.

107. Addit porro Bellarminus triplicem modum mutationis: *productivum, adductivum & conservativum*; qui ut Barbari sunt, ita etiam nihil ad rem faciunt.

108. Quid enim mutatio productiva aliud est quàm generatio? quid adductiva? quàm motus localis? Conservativam vel ipsemet Jesuita explicare nescit. Quocirca tantùm terminos fingit, quibus neque res, neque veritas subest.

Verum

109. Verum ipsemet modum hunc, ut & primum rejicit, solamque adductivam mutationem admittit. Quæ ut diximus loci mutatio est. Quod D. Gesnerus in formula concordia rectè probat hoc modo: Nam omnis mutatio à termino ad quem denominatur & definitur. Jam sive corporis Christi, sive panis respectu consideres terminum ad quem, utrobiq; locus est. Corpus enim Christi deducitur de cælo, & occupat locum panis, Panis ita abire in corpus Christi, ut panis nihil sit amplius, sed ut corpori Christi locum cedat. Quare utrobique motus est localis, panis quidem cessio, quæ & locum sui & seipsum deserit, corporis verò Christi accessio, quæ locum panis occupat.

100. Ex illis suppositis duplex porrò absurdum colligit Gesnerus, Philosophicum & Theologicum. Philosophicum tale. Necessè enim habent, corporis naturalis ejusmodi introducere interitum, quæ id planè in nihilum abeat, aut si in nihilum non abeat, fingunt nihilominus panem suum locum cedere corpori Christi, unde fit, ut panis desinat occupare locum. Theologicum hoc: corpus Christi, quod in statu gloriæ omni conditione naturalium corporum, atq; ita omni localitate solutum est, in locum panis substituunt, & non modo terrenæ vitæ *πάθει*, sed quod deterius est, panis insuper *δουλεῖται* sub-
jiciunt.

111. Cæterum argumenta, quæ pro sua sententia affert Bellarminus, nullius sunt momenti; in primo est insufficiens partium enumeratio præter realem enim & metaphoricam mutationem adhuc dari potest tertium, nempe unio Sacramentalis, quam nos defendimus, & ex verbis Sacramenti cœnæ fortiter astruimus & demonstramus.

112. Adfert nihilominus duplicem majoris probationem, quia inquit, impossibile est, ut una res non mutetur, & tamen fiat altera. Deinde quia in propositione affirmativa necesse est, ut subiectum & prædicatum pro eodem supponat, alioquin esset falsa prædicatio, cum disparatum de disparato enunciari nequeat. Corpus verò Domini & panis sunt res diversissima. E. De altera non potest prædicari altera, nisi interveniente mutatione.

103. Prima ratio quidem per se vera est. Verum quomodo probet institutum eundem non video. Quandoquidem in verbis Cœnæ nulla fit mentio *τὸ γυνέσθαι* sed simpliciter *τὸ εἶναι*. Non enim dicit Christus, hoc sit corpus meum; sed Hoc EST CORPUS MEUM.

113. Altera ratio decipit ambiguitate vocis *ἑνίus*. Vnum n. vel genere, vel specie vel numero est: Hoc verò iterum vel simplex vel compositum. 1. Top. 6. 4: Metaph. 6. 12. & 9. Quare in S. Cœna cum panis & corpus Christi non sint unum & simplex suppositum: sed *ἑνωμένον* unitum & quidem unitum unione Sacramentali, nihil obstat quo minus corpus Christi de pane prædicetur.

Respon-
siones ad ar-
gumenta
Bellarmini.

Quòd

114. Quod porro contra Lutherum adfert Jesuita, manifesta est calumnia. Non enim apud illum quaestio volvirur, an Concilium Lateranense, an verò Thomas Aquinas sit antiquior: Sed tantum demonstrat, quomodo transubstantiationis figmentum, publicam Romanæ Ecclesiæ auctoritate sit approbatum, & non absurdum vel insolens est, vocare Thomisticam opinionem eam, quæ licet antè Thomam fuerit, non tamen usque adeò inculcata.

115. Quid autem Patres de transubstantiatione Pontificia statuerint, ex argumentis pro nostra sententiâ allatis, manifestum est. Concedimus quidem alicujus mutationis & conversionis mentionem fieri apud Patres, eosque antiquissimos, intellexisse verò illos realem, qualem hodiè Pontificij definiunt, pernegamus. Quando quidem tantum translationem quandam status, intellexerunt: Eò quod Panis vinumque consecratione ad alium destinata finem, sacra & quasi à communi usu, sineque alio traducta sunt: imò transubstantiationis hoc figmentum ne nominatum quidem fuit usque ad Damasceni tempora, qui, ut nonnulli volunt, sub Theodosio circa annum Christi 435. vel, ut alij colligunt ex illis quæ contra *εἰκονομάχης* scripsit, circa annum Christi 730. clarus fuit.

116. Posteaquam verò obscuriora subsecuta sunt tempora, varix de mysterio hoc, Diabolo omnis mendacij autore, fraudes & imposturas suggerente, opiniones & unà cum idololatræ hoc Mæozim in Scholas & Ecclesias sunt invecæ. Verum ne tum quidem ita transubstantiatio fuit approbata, ut pro articulo fidei obtruderetur, & diversum sentientes anathematis fulmine percuterentur ac damnarentur: quod Patres Tridentini Concilij & illorum succenturiati Jesuitæ hodiè faciunt.

117. Atque hoc verum esse ad oculum monstratur ex Lombardo, qui *lib. 4. dist. 11. De modo conversionis* diversas recitat sententias, quæ suo tempore in Ecclesia fuerunt, & ipsemet incertus est, cui subscribere sententiæ tuto possit. Sic enim scribit art. 1. *Si queritur, qualis sit illa conversio, an formalis, an substantialis, an alterius generis, definire non sufficio* Et iterum art. 3. Augustini sententiam recitat & approbat: *Si verò queris modum, quo id fieri possit, breviter respondeo, mysterium fidei credi salubriter potest, investigari salubriter non potest.*

118. Ergo Anno 1159. quo Lombardus Parisijs floruit, anathema transubstantiationis nondum fuit promulgatum. Anno quidem Christi supra millesimum ducentesimo ab Innocentio III. Finem Scholasticorum concertationibus imponere cupiente, modus conversionis determinatus, novoque figmento novum *transubstantiationis* nomen impositum fuit. (Videatur Concilium Lateranense lib. 1. Decret. cap. Firmiter) Veruntamen post illud Concilium ipse Innocentius, itemque Scorus Cameracensis, & Scholastici plerique omnes tantum abfuit, ut sententiam illam, quæ statuit, *in S. Canonam manere substantiam Panis*, anathematis fulmine percussissent, ut potius haut obscure illam probaverint, quando, minus absurdarum quaestionum habituram doctrinam de Eucharistiâ, si transubstantiatio negetur, pro palam docuerant.

F I N I S.

99 A 6935

ULB Halle
005 360 463

3



TA → OC







PARTITIONVM
Theologicarum

DIPVTATIO XXV.

Quæ posterior ἐλεγκτικὴ.

De

SACRA
COENA.

includat̃ & Florentissimã Academiã VVitteber-
gensis proposita

PRÆSIDE

I. IACOBO MARTINE

Professore publico:

Respondente

GOTTFRIDO RULICHIO

Dresdensi

Horis locoq; consuetis

Sumtibus Clementis Bergeri
Bibliopolæ Wittebergensis.

ANNO 1611.

